

altare fuisse oblatas ex eo evinci potest, quod Auctor Const. Apost. *Lib. VIII. cap. 40.* formulam precandi proferat, cui *titulus* adscribitur, *imploratio super primitias.*

XXIX. Jam verò secutis temporibus in desuetudinem abiire; vix enim jam indè à sæculo V. earundem occurrit mentio: tantummodo sanctitæ reperiuntur in Concilio quodam Hispano apud Ivonem Carnotensem in Decreti *P. III. cap. 174.* Ceterum ubi adhuc obtineant, quomodo, et quibus ex rebus præstandæ sint, propria cujuscunque loci consuetudo præscribat, ut docet Ostiensis ad *Cap. 1 hoc tit.* (**). In Hispania Primitias jam diu viguisse novimus; eas quippe Alphonsus Aragoniæ Rex in voto Deo facto in honorem Ecclesiæ Valentiniæ à Capellanis propriorum sustentatione, et Ecclesiæ fabrica percipiendas concessit anno 1241. Earundem usum inductum jam supponit Rodericus Telli in Syn. Tarracón. post an. 1291. in Compil. Jo. Teres. *Lib. III. Tit. XVIII. cap. 2.* et Alphonsus Sapiens confirmat, ac à veteri lege deductam putat *Leg. I. et II. Tit. XIX. Part. I.* imò ad ipsas exsolvendas censuris posse fideles compelli decernit *Leg. V. eod.* Ad nostrâ tamen tempora quantum spectat, Primitiæ, altera scilicet ex triginta fructuum pars, generatim in Hispania exsolvantur, et fabricæ Ecclesiarum deputantur. At plurimum hac in re consuetudini concedendum: *Leg. IV. ejusd. (*)*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE BENEFICIORUM ORIGINE, DEFINITIONE, ET DIVISIONE.

Nominis Beneficii apud Veteres usus.

I. Beneficii vocabulum apud veteres Latinos Auctores tum *progressionem* significabat ad altiorem gradum: Tacitus *Lib. IV. Hist. cap. 48.* et promoti dicebantur vel homines *beneficii* ejus, à quo evehebantur: Suetonius in *Tib. cap. 12.* vel *beneficarii*: Cæsar *Lib. I. de Bell. Gall. cap. 75.* unde in veteribus Inscriptionibus apud Gruterum haud raro occurrunt *Beneficarii Tribunorum, Consulium, Praefectorum &c.* Tum quoque præmium denotabat, quod de Republica benemeritis ex publico ærario conferri solebat. Etenim apud Romanos in more fuit, ut Magistratus è provincia reversi nomina eorum ad ærarium deferrent, quorum opera in munere suo adimplendo salubriter usi fuerant; unde *deferre in beneficiis*: Cicero pro Archia: *In beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo Pratore.* Quum verò postea hisce de Republica benemeritis, præsertim militibus, prædia utenda fruenda elargiri consueverint, hinc *Beneficium* pro *prædio* usurpatum est Imperatoris liberalitate alicui concesso propter bonam Reipublicæ datam operam. Haud igitur immerito in jure nostro prædia, quæ Clericis bene de Re Ecclesiastica meritis tribuuntur, quoad vixerint utenda, Beneficia dicta sunt. Satis de nomine.

ARTICULUS I.

DE ORIGINE BENEFICIORUM.

- II. Originem quod spectat, jam *Tit. XVII.* observavimus 1. prioribus Ecclesiæ sæculis Clericos ex muneribus sponte à fidelibus Ecclesiæ oblatas victitasse.
2. Hascè fidelium oblationes præcipuam constituisse reddituum Ecclesiasticorum partem, etiam postquam Ecclesia bona immobilia possidere cœpit.

3. In reddituum Ecclesiasticorum distributione præcipuas Episcopi fuisse partes, cui tamen ex Synodicis sanctionibus, ad omnem fraudis suspicionem declinandam, Economo utendum erat.

4. Antiquissimo Ecclesiastico jure quum Ecclesiæ bona inter Clericos disperterentur, eam tantummodo rationem habitam fuisse, ut quantum quisque indigeret, tantundem acciperet, (**). vel quantum studii in peragendis Ecclesiasticis Officiis impenderent, ut decrevit Syn. Emerit. *Can. XIV.* aut quantum Episcopus existimaret, uniuscujusque Clerici operas esse pendendas: Ead. Syn. *Can. XIII.* (*) S. Cyprianus *Epist. 11.* alias 6. inter abusiones in Ecclesiam suam ætate inductas illam recenset, quod Clerici, sprete communi cum Episcopis vivendi ratione, singuli per hebdomadas, vel per menses æquales acciperent portiones.

5. Nonnisi V. sæculo primum redditus Ecclesiasticos in tres, quatuorve portiones dividi cœpisse Ecclesiæ, Episcopo, Clericis, et Pauperibus adsignatas. (**). In Hispania uti *Tit. XIV.* animadvertimus tribus tantummodo portionibus Ecclesiæ res dividebantur, inter Episcopum scilicet, Clericos, et Ecclesiam: atque hæc portio ad Ecclesiam spectans, ad Episcopi nutum in Ecclesiæ fabrica impendenda erat. (*)

III. Jam verò sæculo VI. ineunte ea vigere cœpit consuetudo, ut Clericis, qui strenuam rei Ecclesiasticæ navassent operam, prædia Ecclesiæ ad tempus fruenda concederentur, Syn. Agathens. an. 506. *Can. VII.* post perlatam sanctionem, ne Episcopi res Ecclesiæ alienare præsumerent, subnectit: *Minusculas vero res, aut Ecclesiæ minus utiles peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permitimus.* Et *Can. XXII. Presbyteri, vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi, teneant, vendere autem, aut donare penitus non præsumant.* Tum Syn. Aurelian. I. *Can. XXIII. Si Episcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terras Clericis, vel Monachis præstiterit, excollendas, vel pro tempore tenendas &c.* (**). Id quod aperte docet Synod. Tolet. II. *Can. IV.* et non obscure Tolet. III. *Can. III.* et Tolet. IV. *Can. XXXVIII.* alias *XXXVII.* (*) Vides hic prima veluti rudimenta beneficiorum, licet Beneficii vocabulo non adhuc usurpato: at vides simul haud frequentes ejusmodi fuisse concessionem, et nonnisi vel ex necessitate, vel ob singularia personæ alicujus merita fuisse factas: unde potius jure personali, quam jure tituli prædia illa Clericos utenda accepisse patet; quibus decedentibus prædia sua Ecclesia recuperabat, poteratque usque retinere, nec præterea in successores ullos tradere: Thomass. *Part. III. Lib. II. cap. 16.* (**). Id quod decrevit Syn. Tolet. II. *eod. Can. IV.* ita subjiciens: *Verum post suum ex hac luce discessum juxta priorum Canonum Constitutiones jus suum Ecclesiæ sanctæ restituat, nec testamentario, aut successorio jure cuiquam hæredum, pro hæredumve relinquat, nisi forsitan cui Episcopus pro suis servitiis, et præstatione Ecclesiæ largiri voluerit.* (*)

IV. Porrò deinceps sicuti Ecclesiis Parochialibus certi redditus constituti sunt, oblationesque, ac decimæ fidelium intra earundem limites incolentium adsignatæ, et quidem pleno jure independentem ab Episcopi administratione; ita quoque simul inductum est, ut jus percipiendi fructus, sive proventus Ecclesiasticos jam non personis, sed Ecclesiis, sive Titulis adnecteretur; adeout ubi Presbyter, vel Clericus Ecclesiæ cujusdam ministerio, sive titulo addiceretur, jus simul redditus eidem titulo adnexos percipiendi sibi compararet. Atque hinc etiam factum est, ut ipse titulus Beneficium diceretur; tum quod jus illud proventus Ecclesiasticos percipiendi ipsius tituli acquisitionem consequeretur; tum quod titulus, sive Ecclesiæ ministerium tanquam principale esset; cujus jus illud, ut minus præcipuum,

ac veluti accessorium haberetur. (**). Indè colligas necesse est, Beneficia omnia ex sua ipsorum institutione nedum residentiam, perpetuamque uni Ecclesie adligationem exposcere, sed habere etiam adnexam curam animarum, quæ quidem oblationum, aut decimarum perceptioni necessario respondent; et quidem ex iustitia, ob quasi contractum, qui inter fideles decimas solventes, et Beneficiarios percipientes intercedit. (*)

ARTICULUS II.

BENEFICII ECCLESIASTICI ESSENTIA.

V. Canonistæ priorem Beneficii acceptionem retinentes illud definiunt: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesie propter officium spirituale auctoritate Ecclesie constitutum.* Præstat paucis singulas hujus definitionis partes explanare.

VI. *Jus perpetuum*, sed ad vitam beneficiarii. Sicut enim Clericus non ordinatur ad tempus, ita nec alicui Ecclesie ad tempus addicitur. Porrò Ecclesiasticum ministerium, sive Ecclesie alicui addictio, est veluti beneficium, sive Juris illius fundamentum.

VII. Atque hinc duo veluti corollaria deduces. 1. Ministerium Ecclesiasticum cum adnexo jure percipiendi fructus, ac temporale, et ad nutum revocabile, proprie beneficium dici nequit. 2. Officia Claustralia plerumque beneficia non sunt, quum superiorum arbitrio adimi possint.

VIII. *Percipiendi fructus ex bonis Ecclesie*: nimirum ex Ecclesie bonis, de quibus superioribus titulis jam locuti sumus.

IX. *Propter Officium spirituale*: beneficia enim Ecclesiastica eodem prorsus intuitu Clericis adsignata voluit Ecclesia, quo antiquitus iisdem per Episcopos alimenta, sive stipendia suppeditabantur, nimirum, ut qui Altari servit, de altari vivat. Et Synodus Trident. Sess. XXI. Ref. cap. 3. *Beneficia*, ait, *ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda constituta sunt.* Quare merito beneficium propter officium dari dicitur.

X. *Officii spiritualis* nomine intelliguntur Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, aliæque sacræ functiones, quibus ex primæva institutione beneficiarii adstringuntur. Porrò Officium cunctis beneficiariis commune est horarum canonicarum, sive Breviarii recitatio: unde hoc *per excellentiam* Divinum Officium dicitur: præsertim quum ab sæculo XI. in multis Beneficiariis hæc duntaxat residere cœperit obligatio; eorumque propterea beneficia, quippe quæ Ecclesiasticum ministerium adnexum non haberent, simplicium Beneficiorum nomen acceperint. (**). Sed quum ex primigenia Beneficiorum institutione ad Sacramentorum administrationem, et spiritualem curam populo in redditionem præstandam obstringantur omnes Beneficiarii, recentem hanc Simplicium Beneficiorum nomenclaturam commentitiam esse judicant prudentiores. Porrò ad sæculum usque XIII. nulla visa sunt Beneficia simplicia. Huic excogitandæ novitati occasionem primus dedit Gregorius IX. *Capit. 17. de Clericis non residentibus*, quum decernit Clericos non residentes, Beneficiis spoliandos esse, si Beneficia habeant, *quæ residentiam exigunt.* (*)

XI. *Auctoritate Ecclesie constitutum*: et sanè sicuti antiquitus proventuum Ecclesiasticorum cura penes Episcopum erat, ita Episcopalis auctoritas beneficio constituendo veluti *substantialis* est. Nec quæcunque Episcopalis sanctio Beneficio constituendo satis est; at ea requiritur, qua usitatis, statutisque legibus, ac

ritibus ad Beneficii titulum erigatur. Atque hinc colliges proventus, licet perpetuo stabiles constitutos, et Clericis ob spirituale aliquod officium adsignatos, ut legata pia, et Capellanie, beneficii naturam, nisi accedente Episcopi auctoritate, et legitimis adhibitis sollempnitatibus, non induere; sed stipendia duntaxat censerent, vel eleemosynas. Jure quoque Neapolitano in Beneficiorum Ecclesiasticorum fundatione prævia juridica discussio prorsus requiritur; quæ si desit, nullum in ea Curie Ecclesiasticæ jus est. Repetita Regia Rescripta, ac præsertim biua, alterum *ad Præsidentem Lyciensem die 7. Novembris 1767.* alterum *ad Præsidentem Cataciensem die 28. Maii 1768.* (**). Hanc Beneficii Ecclesiastici instituendi normam exhibet Syn. Dertus. an. 1419. *Cap. VIII.* his verbis: *Nullum de cetero Beneficium Ecclesiasticum, sine auctoritate Ordinarii ad quem pertinet, in aliqua Ecclesia, vel Capella quomodolibet ordinetur, qui quidem Ordinarius non aliter fundationi, vel ordinationi hujusmodi Beneficii auctoritatem præbeat, aut consensum, nisi prius dos sufficiens ad sustentationem vite Presbyteri in loco idoneo, et securo constituta fuerit, quodque in sua auctorizatione clausulam etiam si omissa fuerit, haberi volumus pro inserta, contra faciendi potestatem Prælati omnibus abdicantes.* (*)

ARTICULUS III.

DE PRÆBENDIS.

XII. Antequam ulterius progrediamur, juvat hic pauca de Præbendis dare. Uti apud Romanos victualia, quæ Magistratibus, Legatis publice missis, aut militibus hospitii causa de more conferebantur, Præbendæ, sive Præbenda dicta sunt; ita Canonistæ illam reddituum, rerumque Capitularium portionem, quam Canonici ratione divini officii in Ecclesia peragendi sibi vindicant, Præbendam dixerunt: quæ et genus quoddam beneficii est. De dignitatibus, personatibus, aliisque Canonicatibus satis *Lib. I. Tit. XXVI.*

ARTICULUS IV.

DE MULTIPLI BENEFICIORUM GENERE.

XIII. Beneficia primo dividuntur, ut alia sint majora, alia minoræ. Primi generis sunt Papatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, ac etiam Cardinalatus, saltem sententia eorum, qui illum pro Beneficio habent. Adjici quoque potest Abbatia; Abbates enim in suos potestatem quasi Episcopalem exercent. Alterius generis sunt omnia illis inferiora, ex quibus aliqua etiam *relatione* habita ad reliqua, dicuntur majora, scilicet, quæ adnexam habent dignitatem, vel personatum.

XIV. Hic duo statuendi Canones: I. Beneficia illa majora communi beneficii nomine non intelligenda, atque adeo neque dignitatis vocabulo, quum sint dignitatum culmina.

2. In materia, uti ajunt, odiosa beneficii nomine simpliciter prolato, neque dignitates, neque personatus intelligendi, quum plerumque simplici Beneficiorum nomine haud indicentur.

XV. Beneficia rursus alia sunt Curata, alia Simplicia. Curata sunt, quæ animarum curam adnexam habent: porrò Cura hæc vel internum conscientie forum respicit, et proprie *Curata* dicuntur; vel ad forum tantummodo externum spectat; sive contentiosum; quo intuitu jurisdictioni dici consuevit, et non nisi improprie Curata.

rata, aptius verò Duplicia adpellantur. Beneficia Simplicia vocitantur, quæ in neutro foro regimen habent animarum; neque populum, aut Clerum habent, in quem hujusmodi cura exerceatur: *Cap. ult. de Præb.*

XVI. Jam verò plura hic observanda: I. Ut Beneficium dicatur Curatum omnino requiritur, ut cura animarum ipsi Beneficio sit perpetuo adnexa, eamque Beneficiarius libere exercere possit.

2. Cathedralium, et Collegiarum Canonicatus Beneficiis quidem Simplicibus adscendendi; hæc verò in materia odiosa, ob eorum eminentiam, qua ipsis pæne dignitatibus comparari videntur: *Cap. 4. de Præbend. in VI.* id quod probare videtur Stylus R. Curie.

3. Simplicibus Beneficiis adnumerandæ quoque sunt Capellæ, sive Capellanix: de Capellis earumque origine satis *Tit. XI. hoc Libro*: porrò vel Capella constituit Corpus per se, et est veluti sacra ædicula, aut etiam Ecclesia à Parochiali sejuncta, et tunc proprie Capella dicitur, quique ei præest *Rectoris* nomen habet; vel Capella aliud non est, quam sacellum, aut altare in aliqua Ecclesia erectum, et tunc proprie Capellania dicitur, quique ei præest *Capellanus perpetuus*. (**). Inter has aliæ sunt, quæ ex fundatorum voluntate Institutionem Canonicam non exigunt, et vernaculo loquendi modo dicuntur *Patronato de Legos*. Aliæ sunt amobiles, quæ revera potius quam Capellanix, Legata Pia dicenda sunt. Aliæ denique perpetuæ, et hæc si Investituram, seu Institutionem Canonicam requirunt, proprie sunt Capellanix. Hinc quum Ecclesiæ visum fuerit fundatoribus indulgere, ut quascunque vellent conditiones in Capellaniarum institutione adjiherent, plura orta sunt Patronatus, et vocationum genera, consanguinitatis nimirum, successione, patria &c. prout unusquisque in ipsa Capellanix erectione constituendum decreverit. (*)

4. Denique Simplicis Beneficii nomen aliquando ea notione accipitur, ut beneficium, quod ad residendum non adstringit, significet: unde alia emersit Beneficiorum divisio; nimirum in Residentiaria, et Simplicia.

XVII. Dividuntur quoque Beneficia, inspectis personis, quibus conferuntur, in Regularia, quæ non nisi Regularibus, (**). *spectata virtutis, et sanctitatis* ut decrevit Syn. Trident. *Sess. XXV. de Regul. cap. 21.* (*) et Sæcularia, quæ sæcularibus tantummodo Clericis conferri possunt. Hæc divisio sero in Ecclesia audita est; antiquitus enim Claustrales Regularium Præfecturæ simplicia erant officia, quæ postea alicubi in Beneficia, et Dignitates degeneraverunt. Quæ de re (exceptis Capellis intra Monasterii claustra constructis, quæ nisi per sæculares administrari consueverint, Regulares censendæ) Beneficia omnia Sæcularia præsumuntur, nisi contrarium demonstretur: (**). ex eo præsertim, quod Religiosi servitium Beneficium, vel Capellanix habere non possint: ex præscripto Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XXXI* (*)

XVIII. Triplici potissimum viâ Beneficium aliquod Regularibus addictum demonstratur; scilicet Institutione, Fundatione, Præscriptione. *Institutione*, ubi ipsam Regularium disciplinam, et regimen adnexum habet; *Fundatione*, ubi fundator expresse cavet Beneficium Regulari, vel non nisi Regularibus conferendum instituere se voluisse; *Præscriptione* de iure, scilicet ubi quadraginta annorum spatium perpetuo, ac pacifice à Regularibus administratum sit.

XIX. In eadem hæc Beneficiorum divisione tertium occurrit Beneficiorum genus, scilicet, quæ Commendata dicuntur, seu data in commendam: id quod antiquitus fiebat ad tempus, at rhodie plerumque sunt perpetua. Conceduntur enim Commendatariis, quoad vixerint, possidenda. De Commendis mox fusius agemus.

Tantummodo hic juvat observare, ubi contingat beneficium aliquod Regulare à Summo Pontifice Commendæ nomine Clerico Sæculari conferri, ejus naturam non mutari, nec ideo fieri Sæculare.

XX. Postremo ex diversa collationis, sive provisionis ratione beneficia alia sunt *Electiva*, ad quæ scilicet quis per electionem adsumitur, alia *Collativa*, quæ nimirum per collationem Episcopi, aut alterius Prælati obtinentur, et alia *Patronata*, quæ scilicet ad Patroni præsentationem conferuntur. Item alia sunt *Reservata*, et *Adfecta*, quæ scilicet ad Pontificiam pertinent collationem, et alia *non Reservata*, neque *Adfecta*, quorum nempe collatio alterius, quam R. Pontificis, juris est. (**). Adhæc in Hispania Beneficia sunt, quæ dicuntur *Patrimonialia*, ea videlicet, quæ non nisi in hac vel illa Diocesi, Provincia, Civitate, et Oppido natis, vel oriundis conferri possunt, ejusmodi sunt Beneficia Regni Navarræ, et Cantabriæ, quæ Navarris duntaxat, et Cantabris conferri possunt, et plura in Aragoniæ Regno, quæ in quodam tantum Oppido, aut Civitate ortis conferuntur. Item Beneficia omnia Archiepiscopatus Burgensis, et Episcopatum Palentini, et Calagurritani, quæ ex immemorabili consuetudine, confirmata *Leg. XXI. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* non nisi Diocesanis conferenda sunt. Quin et omnibus inhibuitur est Bullas impetrare, quæ hujusmodi adversentur consuetudini, de quibus, si quando impetrentur, ad Supr. Castellæ Senatuum deductæ, supplicandum est; neque exsequi valent sub pœna, si hæc fuerint, amissionis ipso facto omnium bonorum, et quorumcumque officiorum Regalium; si Clerici sub pœna etiam amissionis omnium temporalium rerum, et jure Civitatis. Deinde hæc Lex confirmata est *Leg. XXII. ibid.* et ad omnia alia Beneficia Patrimonialia Carolus V. extendit *Leg. XXIII. ejusd. Tit. et Lib.* Majoricenses etiam jus habent trium Summorum Pontificum Constit. roboratum, et Philippi V. Decreto die 7. Julii an. 1723. confirmatum, ut non nisi ipsi ad earum Ecclesiarum Præbendas, et Beneficia admittantur: *Sanctione XXX. Tit. II. Lib. III. vulgò Autos Acordados*. (*)

CAPUT DECIMUM NONUS.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE.

I. Antequam reditus Ecclesiastici in Beneficia engerentur, jam Canones præivere, quibus Beneficiorum pluralitas damnata est. Synodus Chalcedonensis binos in hanc rem Canones habet, X. et XIX. quorum priore *Clericum in duarum Civitatum conscribi simul Ecclesiis* vetatur, depositionis pœna in transgressores inflata: posteriore Episcopum, qui Clericum ad alium Episcopum pertinentem susceperit, una cum Clerico suscepto, communione privandum decernitur, illis tantummodo *exceptis, qui proprias amittentes Provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt*. Profecto quid hoc aliud est, quam beneficiorum pluralitatem ex Residentiæ divino jure statuta lege illicitam judicare?

II. Consonant Chalcedonensi Concilia seculis temporibus habita, uti Aurelianense III. *Can. XVIII.* Epaonense *Can. XIV.* Aurelianense item V. *Can. XIV.* (**). et Syn. Tolet. I. *Can. XII.* decernens nulli Clerico licere *discedere de Episcopo suo*: Tolet. II. *Can. II.* Valent. an. 546. *Can. V.* et VI. Narbon. an. 589. *Can. X.* Hispal. II. *Can. III.* Tolet. XIII. *Can. XI.* &c. His porrò Canonibus Beneficiorum pluralitas interdicta est, quippe qui Clericum ad unam duntaxat, eamque cui primo ordinatus est adfigunt Ecclesiam; ille autem qui priore non con-